

Post hec, victoriam quandam, que ob excellentiam tam altissimi principis comitis Guidonis, qui per se quasi civitas est et provincia; et vera potest dici victoria; obmittere nolo tacendo. Cum bone memorie Gottofredus episcopus florentinus, patruus comitis Alberti et frater comitis Nontigiuva, pro eodem et ob eius utilitatem tacite contendens, et illustris comes Guido altercarentur occasione bonorum olim comitis Ardevini (1): de progenie cuius esse dicuntur comites de Palude; in episcopatibus florentino et bononiensi et pistoriensi in alpibus existentium; contigit, quod cum ipsa bona comes proposuisset violenter intrare; ex adverso sub pretexto spiritualium, possessionem intravit antedictus episcopus eorundem, assumptis militibus et gente secum quam plurima congregata. Et cum ipsorum episcopus comiti prohiberet ingressum, bellum inceptum est durissimum valde: et est episcopus superatus. Et licet possessionem retinuerit ipsorum, de personis tamen et rebus est episcopus dampna quam plurima consecutus. Florentini vero graviter indignati, tum quia quosdam florentinos cives, fideles episcopi, ceperat, nec requisitis restituebat eosdem, tum quia cum esset maior civis, eorum sprexit examen; dum quadam vice illustris comitissa Imigla (2) mater comitis Guidonis per Florentiam secure transiret, florentini per aliquot dies quasi curialiter detinuerunt eandem; ipsam non permittentes abire. Quod comes reputans molestissimum, munitiones suas reparari iussit ad guerram, et specialiter castrum quod dicebatur Montis Crucis: episcopo cum eodem nichilominus litigante. Quod per insipientiam florentini, aut gente plus duplo, quoniam incepta iam lite cum comite, destruxerunt castrum dictum Cuonam; in castro Montis Crucis fugientibus castellanis. Elapso vero brevi temporis spatio; cum appropinquaret estas, moverunt in manu potenti florentini, et prope castrum predictum per dies quindecim residere, construens hedificia plurima super eo: licet per ipsa parum damnificaverint adversantes. Demum devastatis omnibus et combustis, sunt ad propria florentini reversi. Non enim Florentia quievit a comite cotidie pulsata, nec comes vixit in otio sepe repulsus. Adveniente vero tempore yemis, dum venti flarent et regioni frigus inciperet dominari; quidam florentini quodam mane credentes silicet castrum posse capere per insultum, per loca non arida sed aquosa venerunt, spinis et tribulis plena, inusitata penitus et extranea, castrum illud noctu potenter intrarunt: lupis in silva ullulantibus quasi mille, presens tempus vaticinantibus et futurum. Ad quorum voces excitati degentes in loco, surrexerunt: hoc permittente Deo qui noluit forte animas simul et corpora deperire: et facibus accensis, cum vidissent ipsos esse numero paucos, eiecerunt illos extra muros qui ascenderant, facientes bellum mirabile cum eisdem. Sicque reversi sunt non petita licentia, indecenter nemine vulnerato, obviantes gentibus venientibus in succursum. Anno sequenti circa finem veris apud predictum castrum florentini venerunt a superiori parte castra ponentes et devastatis omnibus et combustis, recesserunt: alias terras comitis ab hac parte alpium nichilominus devastando. Bella fuere tunc: insultus plures, castrorum destructiones, et captivitates plurime sunt secute.

(1) Da questo conte Arduino della famiglia de'conti da Panico nel Bolognese, era nata Aldergarda moglie del conte Albertino figliuolo del conte Alberto degli Alberti, che fu fratello del vescovo Gottifredo e del conte Bernardo, detto Nontigiova.

(2) Imiglia di Rinaldo detto Sinibaldo, moglie del conte Guidoguerra II, e madre del conte Guidoguerra III, del quale si ragiona in questo luogo.